

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1147

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

403

C O D I C E S

404

illuſtr. T. XVI. p. 133. retinen-
tiorem etiam antiquae scribendi
rationis maluissent saltem Erudi-
ti. Textus cetera Psalmorum
Exempli nostri ab ea non abludit;
in praeviis tamen Argumentis
Psalmi cuiusvis usus indicatur,
qui in Edit. non habetur. Ita Psal-
mus I. nobis dicitur: *Chose pro-
pre pour consoler les bons. II.
Pſeaulme propre contre les Infidel-
les. III. Pſeaulme propre pour vng
chef de guerre moins bien accom-
pagné que ſon Ennemy &c.* Ad
calcem hoc jacet Lemma: *La
Mort ny Mord, Maroto familia-
re.* Dixi supra Possessorum Fer-
dinandum I. quamvis enim, ut ha-
bes apud Baylum in *Dic.* v.
Marot, Interpres hic ab Rege
fuo jussus Carolo V. Imp. Psalms
suos obtulerit, ab eoque numis
200. aureis duplicitibus (*Doublons*)
donatus fuerit, cum tamen in
Scuto pariter superius memorato
nihil Insignium *Hifpanicorum* praeter
Turrim *Castellae* conficiatur,
Exemplar iſtud vix ad *Carolum*
referri poſſe censeo.

CXLVI. *XII. 28.*

798 Codex membraneus lat. Sec.
XII. Folior. 88. 8. sat nitide
perscriptus, rubricisque distinc-
tus, exhibet: I. tacito Autore Pa-
raphrasin metricam latinam *Canti-
ci Canticorum Willerami* Abb.
Ebersbergensis, de quo dictum
Codd. XLIV. XLV. et XCIII.
Praefatio incipit: *Cum maiorum
ſtudia intueor, quibus in diuina pa-
gina nobiliter floruere &c.* Pauca

hic ab Editione *Schilteriana* T. I.
Theſ. Antiquit. Teut. abeunt. *In
conſtruzione legas pro instruc-
tione, fructum inducant pro produc-
tant, nomine oſtentant pro teſtan-
tur, et uersibus et textu pro et
Teutonica*, quod poſtremum ma-
nifestus error eſt Librarii. Prae-
fationem excipiunt Prolegomena
omnibus *Willerami* Editoribus
ignorata, et 5. paginas replen-
tia, de quibus tamen dubito, an
genuinus Nostri foetus fint. Ineunt
illa: *Liber iſte in quatuor partes
diuiditur. quia ecclesia christi ſpon-
ſa quam canit de quatuor plagiis
mundi per quatuor euangelia in
thalamum ſponsi colligitur ipſo
dicente: Venient ab oriente, et
occidente. a meridie et aquilone et
recumbent cum abraham et yſaac
et iacob in regno celorum. &c.* Haec
deinceps quatuor Puellis adpli-
cantur, quarum Filia *Pharaonis*
ab Oriente, Filia *Babylonis* ab
Austro, *Sunamitis* ab Occiden-
te, et *Mandragora*, hoc eſt puel-
la sine capite, ab Aquilone ac-
cerſit. Vix haec *Willeramum*
ſapiunt. Ipſius Paraphraeos Mem-
bra tantum usque ad *Caput IV.*
Rubricas illas Interlocutorum
praeferunt; itaque earum ultima
huic *Capiti* praefixa eſt: *Vox
Christi.* Textus magis ad Codicem
Vratislav. accedit; eſt tamen
editis mendoſior. Collato C. I.
haec noto: V. 4. habetur *amore
pio recolentes pro amore tuo.* V. 5.
*Perfero grande malum pro Perfe-
re*, quod Impressoris eſt σφαλμα.
V. 15. *Nil faclum ſimulas pro
ſiſtum.*

II.

2025-07-01

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1147

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

405

HERMENEUTICI.

406

II. fol. 50. *Incipit liber sancti Gregorii pape de conflictu uiciorum et uirtutum.* Initium est: *Apostolica vox clamat per orbem &c.* Istud *Ambr. Autpertii Opusculum* alibi non uno Codice *Augustino et Ambroso tributum vidimus.* Vide Cod. CLXXXVIII. Jam dominum mutat. Quin et *Leoni* et *Istidoro Hisp.* inscriptum reperire est.

*Vos qui sub Christo mundo certatis in isto.
Discite uirtutum conflictus ac uiciorum. &c.*

Confligentium nomina miniata in *perbia* inchoat:
marginie adscripta sunt, atque *Su-*

Quis mibi laude pari uel honore potest sociari?

Reponit *Humilitas:*

Flos feni. uermis. puluis. cinis. unde superbis? &c.

Simile Certamen vide Cod. CCXCIII.

IV. fol. 73. *Incipiunt Rethorici colores.* Tractatus de Figuris

oratoriis, quarum adferuntur definitiones, singulisque subjiciuntur Exempla metro inclusa non infelia. Praefamen incipit:

*Verificaturo quedam tibi tradere curo
Stemmata uerborum studiis celebrata priorum &c.*

Prima Figura est *Repetitio*, de qua: *Repetitio est cum continenter ab uno atque eodem uerbo in*

rebus similibus et diuersis principia sumuntur, hoc modo:

Tu mibi lex. mibi rex. mibi lux. mibi dux. mibi uindex. &c.

Autorem *Gallum* fuisse suadet istud *Complexionis* exemplum:

*Qui sunt qui pugnant audaciter?
Qui sunt qui superant inimicos?
Qui sunt qui parcunt superatis?* } *Andegauenses.*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1147

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

407

C O D I C E S

408

Atque hinc in *Marbodum Redonens.* incidi, inter cuius Metrica hi *Colores* habentur in edit. Ejus et *Hildeberti Cenoman.* Paris. 1708. col. 1587.f.

*A synodo bellus bene dicitur iste libellus
Propter conuentum. patet hoc animis sapientum.*

Conveniunt videlicet *Sophia*, *Tblepis* et *Neocosmus*, illaque hos referre jubet varios eventus vetusti et recentioris aevi, qui

V. fol. 79. Poema hexametricum historicum ἀμολαῖον nomine *Synodici*, quod praecedunt hi Versus miniati:

*Veribus emensis bis auctor basiliensis
Vir quidam clerum parites querere rerum
Ammonuit primus domino quas indice scimus.
Rerum priscarum breuis editor atque nouarum.
Non ueteri more sed eas scribendo canore
Et quasi certantes ponendo duos modulantes.
Res ab eis iuncte titulantur in ordine cuncte
Iudice matrona dare que solet optima dona.
Vt nomen noris laudator compositoris
Sensim primarum seriem coniunge notarum.*

Coniunctis igitur primis Versuum horum literis prodit *Warnerius*, isque, ut dicitur, *Basiliensis*, de quo cum nihil in *Leyseri Hist. Poet. med. aevi* reperirem, alibi scrutantem paene in errorem reddit *Gesneri Bibliotheca*; offert enim *Wernerum Abbatem S. Ba-*

filii Scriptorem Deplorationum, verum re pensata vidi S. *Basilio* substitendum ibi S. *Blasium* et *Deplorationes* vertendas in *Deflorationes*. Itaque apud Scriptores, quos de *Warnerio* nostro consului, operam lusi. Poema ille suum ita auspicatur:

*Jam calor estiuus feruente leone nocivus
Transit. augusti finis dat pocula musti.
Campis dete&dis et pomis arbore le&dis
Vndique potatur contractaque cura fugatur.
Nos quoque letantes dum sustinet herba cubantes
Ramis protectos esca potuque refectos.
Condelectemur uerbis sacris recreemur.
Tblepsi uetus starum memor et neocofme nouarum*

Am-

2025-07-01

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1147

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

409

HERMENEUTICI.

410

*Ambo scii rerum cantantes dicere uerum
Dicite cantantes que dicitis equiparantes.*

Ita a *Sophia* animatus orditum *Tblepsis*:

Mente iubes dia que precipis alma Sophia &c.

et primo narrat *Adae* creationem, cui *Neocosmus* formationem corporis *Christi* in utero Virginis cōponit, et ita progrediuntur usque ad comparationem *Salomonis* et *Justiniani*, in qua *Codex* abrum-pitur, quod dolendum, nisi fortasse in aliis Bibliothecis Exemplaria integra supersint.

CXLVII.

-810 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 72. 8. elegan-

ter exaratus, rubricis ornatus, et quondam *Monaſterij sancti floriani patav. dyoc.* quod est Collegium Canonicorum Reg. S. Aug. in superiore *Austria Cantici Canticorum Parapbrasin* versu hexametro continet, cujus nullibi mentionem fieri video. Inscripta: *Versus super Cantica*, ita orditur.

*Ardua presumens imitari gestio petrum
Lacius enodans salemonis cantica! quamuis
Terrear obscura rerum caligine! uotis
Munera supplicibus tua postulo spiritus alme;
Aspirare meis ceptis dignare! tuoque
Numine scribentis digitum rege dirige mentem.*

Πέροιμον istud primis Versuum litteris Autoris nomen *Altman* prodit. Verum an hic *Altmannus Patav.* Episcopus a. 1091. defunctus? An *Altmannus*, *Alemanus* seu *Almannus Altivillarensis* Monachus Sec. IX. de quo *Franciae Hist. lit.* T. V. p. 618. et *Fabri-cius* in *Bibl. med. Lat.* Atque in hunc vehementer inclinabam, cum scirem, teste *Tribemio* n. 282. tam metro, quam prosa scripsisse. Ast ubi expendisse illud: *imi-tari gestio petrum*, neque alias eius temporis occurseret *Petrus*,

qui *Cantica* versu tentasset, praeter *Petrum de Riga* in sua *Auro-ra*, quam Sec. XII. elaboravit, jubente Chronologia *Altmannum* illum *Altvillariensem* missum facere coactus sum. Itaque novum hic *Altmannum* fisto sacri Parnassi hospitemne, dicam, an incolam, melioribus certe aevi sui Poetis adnumerandum. Quo magis tri-fte, folium unum, alterumve a fine *Codicis* excidisse. Subneget ille porro Invocationi jam productae Argumentum Operis, quod sic orditur: